

quidem ad Gallias esse profectus, Linus^a vero et Clemens in urbe Roma prefuisse ecclesiae, qui comites et adiutores eius fuisse ab ipso Paulo perhibentur, sed et Dyonisium Ariopagitam apud Athenas, quem Lucas describit primum Paulo predicante credidisse, inter socios eius fuisse et ecclesiae Atheniensium constat sacerdotium suscepisse. In quarti autem libri capitulo vigesimo III^o de ipso Dyonisio reperies¹, alterum quendam Dyonisium, Chorinthiensem episcopum videlicet, descripsisse hoc modo, quod Dyonisius Ariopagita, qui ab apostolo Paulo instructus credidit Christo, primus apud Athenas ab eodem apostolo episcopus fuerit ordinatus. Tertius autem Dyonisius Alexandriae urbis episcopus et quartus eiusdem nominis, qui pontifex Romanus, sub Galieno cesare post predictum Marcum quarto decimo ambo claruerunt. Quintus etiam Dyonisius quidam abbas extitit, qui longo post predictos tempore sub Iustiniano cesare clauit.

14. Dyonisius namque Atheniensis, qui et Ariopagita, ut pretermittam quod predictus Hiltwinus eum XX^{ti} V annorum tunc esse, quando dominus et salvator noster crucifixus est, in eiusdem Dyonisii epistola quadam ad Policarpum Smirneorum episcopum scripta legisse semet testatur², tam propectae etatis erat, quando apostolo Paulo conversus adherere cepit, ut et uxore et civitatis suae principatu iam potiretur. Huiusmodi quippe cura etate indiget admodum matura. Quod cum ita sit, computemus diligenter ab ipso conversionis suae anno, qui Claudii nonus vel octavus extiterat, usque ad Marci Antonini octavum annum, quo Dyonisius Chorinthiensis claruisse describitur, et inveniemus paulo minus [C^b]XX^{ti} annos. Nam licet annorum, quos ante conversionem habuit, numerus diffinitus ex actuum apostolorum lectione minime comprehendatur, ex eo tamen, ut dictum est, non solum animi, sed etiam etatis ipsius maturitas intimatur, quod et uxoratus et tantae civitatis iudex erat ita verendus, ut Athenienses^c de sancti Pauli predicatione sine illo nichil diffinivisse dicantur. Sic enim scriptum est³: *Et apprehensum eum ad Ariopagum duxerunt.* Haec autem indicia vel testimonia, quae sancti Dyonisii Ariopagitae necdum conversi etatem propectam declarant, ideo diligenti et repetito sermone demonstrare studemus, ut his, qui eundem Ariopagitam in etate huiusmodi iam constitutum usque ad Marci Antonini tempora perdurasse sub eoque in episcopatu Chorinthiensi cla-

a) Finis später corr. Linus c. b) fehlt c. c) Atheniensis später corr. Athenienses c.

1) Eusebii hist. eccl. IV, c. 23; l. c. XX, col. 383 sq. 2) Epist. Hiltuini im Anfange der Vita S. Dionysii, Migne l. c. col. 16. 3) Act. 17, 19.